Ant. Ara amoris divini

Kart 13.

ARA AMORIS DIVINI FLAMMIS, AC OLEO SAPIENTIÆ ARDENS. D. THOMAS AQVINAS DOCTOR ANGELICVS,

Recurrente annuâ Suæ Solennitatis luce,
In Augusta D. DOMINICI Basilica
ORDINIS PATRUM PRÆDICATORUM
Celeberrimi Conventûs Posnaniensis
Spectatori Magnorum Hospitum oculo
Cultû Panegyricô
A

M. JOSEPHO ANTONIO DECLOS,
In Alma Uniuersitate Cracoviensi AA. LL. & Philosophiæ Doctore,
Scholæ Grammatices in Academia Posnaniensi Professore.

PRODVCTVS.

Annô quô
Sacer Mysta in Ara Crucis pro salute humana inter
amoris incendia conflagravit 1728.
Die verò 7. Mensis Martij

POSNANIÆ, Typis *ACADEMICIS*.

In Gentilitium Inſigne
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
ZAKRZEWSCIORUM.



Splendidus haſtarum cùm binio tendit ad aſtra,
 Monſtrat *ZAKRZEVIOS* tangere mente Polum.
Protegit hæc Patriam Gens, ſævos enecat hoſtes,
 Quodq; tutatur Aras; id ſonat haſta cadens.
Hîs ſcelus, hîsq; nefas dirimit Themis, inclyta ſemper;
 Sub quîs tutò ſedet, Lechica tota Domus.
Hinc trepidate feræ Patriæ in ſpelæa ferarum!
 Hæ celeres Haſtæ tanta ferunt ſpolia.

STANISLAUS de Garczyn GARCZYNSKI
Vexilliferides Poſnan: in Academ: Poſnanien: Schola Grammatica Alumnus.

ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO
D. ADAMO JOSEPHO ZAKRZEWSKI
VEXILLIFERO ŁĘCZYCYENSI,
NOTARIO CASTRENSI POSNANIENSI.
DOMINO ac MECÆNATI
AMPLISSIMO.

V*irtutum & Scientiarum Areopagus, intaminatæ vitæ Jubar, Cæli Delicium, THOMAS D. dum ex Oratorio suggestu ARA ardens nuncupatus, publicam adorat lucem, Tua Mavortia petit imprimis Arma, illaq; ad latus suum deferre conatur, quibus strenuò pro gloria inclytæ Gentis Tuæ valeat decertare. ILLUSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE. Decet jure meritò: ut hic, qui pro integritate totius Christianitatis fortis ac rigidus comparuit Heros, nunc dexterrimum pro DOMO Tua Alcidam agat. Expedit, ut & celebrem famam Tuam totum vulgatam per Orbem, intra sui Ma-*

jestatem ferat, qui omne grave telluris pondus humeris suis veluti alter Mauritaniæ Atlas deportavit. Fortem ipsum ab ortu semper latè patens spectavit Orbis, etiam pro Tuo præclaro pugnando honore inermis non exambit observari. Domavit Ille evaginato ingenij sui acumine multas nefandas Hæresiarcharum catervas, devincet & modò facilè omnes irruentes in Illustrem *Prosapiam Tuam adversæ sortis impetus,* HASTIS *Tuis Gentilitijs innixus existendo. Addent Illi Sarissæ hæ Tuæ non parvum ad conflictum robur; deducent prosperè ad pugnam, cùm etiam & illis non mirum est horridum cum hoste inire certamen. Assveverant ipsæ optimè cum cruento præliari Gradivo, didicerant insultantes hostium pænitùs detruncare phalanges, quæ sæpenumerò cum triumphalibus Domum redibant corymbis has pro præda ac spolio nativo* Patriæ *solo offerentes. Volupe illis erat non semel terribilem aspectu prosternere Martem; consentaneum fuerat, innumeras exercituum deprimere legiones, quas toties suæ subjugarunt potestati, quoties cum illis acerbum prælium iniverunt. Hebetabatur ad illas quævis tumultuaria armorum collisio, enses toties frangebantur districti, quoties eas præliantes advertebant. Formidabant universæ inimicorum acies, tremuêre singuli, nec iam in illas armatam sursum audebant extendere manum, dum eas sufficientes fuisse ad resistendum cognoverunt. Et quidni celebris evadere victor non debeat* HEROS *D. pro decore Tuæ Familiæ certans; cùm hæc ad profligandum hostem Avita Tua defert manibus Arma; à quibus certus dependet triumphus. Felix terq; beata* Domus Illustris *Tua, quæ ejusmodi victricia ad defendendum se ac* Patriam *continet tela; sed longè magis adhuc felicior cernitur, cùm tantos ad cruentata hæc enutritos spicula luci publicæ exponit Heroas, qui Arte &* Marte *mente ac ense certare sunt potentes. Quilibet illorum magnanimum gerens in pectore Martem, non tantum proprij ast & publici faber remanet honoris; & quemcunq; licet hac*

de

de Stirpe requirere virum, certum est de Herdâ nasci. Audet unusquisq; ipsorum pro bono præliando communi in medios prorumpere ignes, ac in acutos obvijs ire pectoribus enses, modo intactè Patriæ integritas conservetur. Generosa illorum Indoles hoc maximè inter cætera curat, ut non sibi ast Patriæ Regno prodesse possit, privatam rem minori, publicam maiori pretio æstimando. Comparuit hic Eorum multoties in pluribus negotijs erga Patriam fervor ac zelus, & præcipue tamen tunc; cùm ab hostibus ingentibus opprimebatur angustijs, ubi pro salute illius ad singulos inimicales insultus valentia corda plusquam Spartana opposuerant robora, se ipsos in quævis discrimina ingerentes. Videre erat infractum illorum robur, cum Occidentales gentes ferrea in Rempublicam vibrabant arma; ut fortius Polonam attraherent libertatem, quam auream norûnt, ubi non tardi ad danda repressalia hosti remanserunt, at adversis tela sæpe retundebant telis, modo tantum ab immani Patriam pernicie possent liberare. Desinat jam Caput Orbîs & Urbium Roma suos magnanimos numerare Heroas, cesset strenuis gloriari Manlijs, Torquatis, Fabijs & alijs longo numerandis syllabo Bellatoribus, dum etiam æquales robore ac prudentiâ florentissimos Viros Illustris ZAKRZEWSCIORUM *Familia Mundo præsentat ad visendum. Singuli ijsdem nominibus ac titulis remanent digni, cum ad hos heroica illos conducunt facta; quæ auro cedroq; notari debent. Prodit ex his veluti ex splendoribus radius* Illustris ac Magnificus D. JOANNES ZAKRZEWSKI *Avus* Tuus, *Magnorum Heroum Sanguis, Vir Sago Togaq; clarus. Si prudentiam in eo admiremur, Macedo; si dexteritatem, Achilles, si junctim omnia, unicum* virtutum *decus ac regula mansit.* Mollem *Pater hic ætatis suæ genium duris bellorum initiavit laboribus, generosam suam in armis exercverat indolem, ut intrepido vivum spiraret pectore Martem. Facundum Cineam Eum Lechicus adoraverat Orbis, dum liberis totius Palatinatûs votis, Nuntius electus, pro publi-*

co bono peroravit. Quoties ponderosa de ore diserto protulit verba, toties aureæ catenæ erant, quibus audientium ligabat animos, hos sibi ducendo in applausum. Resplenduit *melius illius animi indicium ad sacram Themidis bilancem, dum ad Tribunal Regni Iudex Deputatus fuerat, ubi quidquid præceperat, hoc prius exemplo comprobavit. Illa consulta dabat, ad quæ non unus Cato suspendit supercilium, & quamcunq; partam assumpsit, eam semper gloriosè expedivit. Auxit tantæ fortitudinis decorem* Jllustris ac Mag: NICOLAUS ZAKRZEWSKI dignissimus Genitor Tuus, *grande ornamentum Regni, cujus heroicus animus ad sublimia natus, nil unquam non magnificum spirabat, nihil non Pelleo Iuvene dignum exercebat. Aurora illius verè Musis amica erat, quæ maturos aliorum vincebat meridies; juventutis flos coronæ peridoneus, quia nec meritis immaturus. Sublime ingenium eius Palladis Gazophilacium fuisse credo, ex quo quidquid egrediebatur; vel oraculum, vel miraculum erat. Quod si illius ferutabitur heroica dexteritas, hæc certe mille laudibus debet celebrari. Apparuit in Lechico Campo strenuus multoties Hercules, imperterritus Perseus, & tunc vel maximè: dum mordaces Sarmaticæ gloriæ Minotauros geminis oculorum advertit syderibus. Monstrabat sæpenumero dignas imperio species, ut à pompa trophæorum Pompejus, à felicissimè accumulatis triumphis, Augustus, Nerva adversam enervans potentiam dici deberet. Neq; illi facunda etiam rosei deerat temperies labri, Legationis munere manens decoratus, ubi pro rostris Majoris Poloniæ perorans, tantum grato suo sermone effecit, quantum bono publico satis erat. Aureus sæpe in Areopago Tribunalitio Præsidem agens nuncupabatur Tripos, à quo certiora Delphicis responsa petebantur. Acerrimus jurium propugnator dicebatur ab omnibus, dum tantam habuisse videbatur perspicaciam, ut sæpe illam ad Lidium lapidem comprobaret. Non invidemus retroactis sæc'lis Traianos, Severos, Phociones, omnium*

lau-

laudes hic Polonus Aristides insemet ipsum derivavit. Non narro hic illius sexcenta in judicando gesta, cùm illius rectefactorum series, Historicam non encomiasticam poscat pennam. Ad ipsius tamen tot heroicos actus non possum intra silentij servare cancellos, Illustrem Magni Generis quia BIELSCIANI Magnatum Familiarum Sangvine junctam Genitricem Tuam, vertorem in Orbe Polono Corneliam: Virilis namq; illius animus & virtutum pulcherrima Corona, Superstitem in memoria posteritatis agit vitam. Influxerunt in hanc Heroinam excelsæ dotes mentis, resplenduit in ea non parva comitas morum, ardens honoris Divini zelus ac pietas, quas virtutes à teneris ita coluit, ut eas cum lacte quodãmodo suxisse videbatur. Quodsi larga in opem egenorum profusa Illius spectetur munificentia? talis erat, quantam mens generosa exhibebat. Integros aliquando dies activa apud Tytum otiabantur beneficia, illi nullum momentum erat, quô monumentum gratiæ suæ non relinqueret. Et cùm tam insignes virtutum Panoplias in prædictis miror; in Te has omnes evidenter adverto Illustris ac Magn: Domine. Non Te latent æqualia eruditionis decora, nã hæc collecta tenes, ac in Te veluti Homeri Ilias in nucis putamine claudis. Apparent præclaræ Tui Sarmatico Orbi qualitates animi, adest præstò invicta mentis fortitudo, solers in agendis negotijs cappacitas, quibus Tu virtutibus, à teneris statim sedem ac domiciliũ in Temetipso posuisti. Prodiderunt Te Cunæ Herculẽ, fasciæ futurũ pro Patria demonstrarunt Scipionem, qualisve vitæ Tuæ meridies foret, aurora Infantiæ tuæ ostendebat, quam ita gloriosè absolvisti, ut plurimos in stuporem rapere videreris. Iidem Tibi cum magnanimo Duce Libiæ fuere passus, qui nondum pueriles eggressus fueras bullas, & iam literata bella movere conabaris. Adhuc pusio eras, & jam in prætexta vir censebaris ætate, omnem morum elegantiam in Te assumendo. Monstrabas egregia benè formatæ indolis lineamenta, illis nimirum dando operam facinoribus, quæ maturioribus con-

 venieban

veniebant annis. Noluisti diu benignæ Lucinæ clarere beneficio, majorem claritudinem opinatus, quæ speciosis propriæ virtutis adumbratur coloribus, & inclytis gestorum splendet miraculis. Non placuit Tibi Juveni Magno arundine equitare longa, verùm ad pennigerum Apollinis Pegasum Te applicare maluisti. Ludus Tibi quo adolescentia sæpe oblectatur non alius, nisi literarius fuit, in quo tam benè profecisti; quantum Tibi ad insigne gloriæ decus satis erat. Decurrebas strenuè capacissimo ingenio docta hastatæ Palladis Olimpia, in quibus nunquam aberrasti, quia victor abibas: ad Cleantis lucernam noctes diesq; vigiles agens, etiam ipsam Minervæ Noctuam illustrasti. Colligebas abundè copiosam sapientiæ frugem ex Magni Jagiellonis manipulo, uberrimam exinde Sarmatiæ laturus messem. Post Scholasticam quam laudabiliter decurrebas arenam, in Martis processisti Castra, ut melius inter bellicorum armorum fulgorem Tuam expolires Juventam. Et dum in his non parva dexteritatis præbebas specimina, hostes videlicet in bonum irruentes Patriæ profligando, adversos impetus repellendo, ac alia triumphalia peragendo opera, ab omnibus magnanimi Herois nomenclaturam possedisti. Nulla Tibi unquam absq; successu effluxit hora, nullam calcasti arenam, ex qua Tibi victricem palmam non produceres. Abiêre Tibi Gentilitiæ HASTÆ Tuæ in triumphalem rotam, dum Te Victorem suum adorabant. Spectans tales ac tot meritis plenas dotes Tuas Lechica Ales, idcircò Tibi pro illis ŁECZYCYENSE obtulit VEXILLUM; cupiens: ut ab omnibus triumphator agnoscaris. Vocavit Te tandem Diva Themis in suum Augustal, ut illius dignissimus maneres Gestator. Poscebant Te paulòpost concordes Palatinatûs voces, ut Judex ad Tribunal Regni fieres, quod munus renuere non potuisti, boni communis ratione victus. In hoc suscepto honore nil non laude publica dignũ egisti. Observasti semper æquitatis regulas, nullas admovebas exceptiones, rigidus Justitiæ Tutor

existen-

existendo. Procedebas Tibi Lycurgi more in judicandis causis, dùm nonnisi in scelera, tuū vibrabas gladium. Decretis Tuis ille non contentus fuit, cui ipsa Justitia erat non ad gustum. Quis non miratur Hybleam Te Demosthenis habuisse suadam, dùm tam suaviter Nuntius multoties manens pro bono Communis statûs es locutus; ut à singulis non sine voluptate mentis habebaris. Commovebas eloquio Tuo sæpissimè audientium animos, quos nunquam exsatiare potuisti, dum elegantiâ sermonis quâ pollebas, eos ad Te magis ac magis attrahebas. Sed non hic laudum Tuarum ac gloriæ meta, cùm nec terminus rectarum actionum. Mereris plures insignes magnificorum encomiorum Apotheoses postquam Te his concelebrare Tua facta demandant. Procedis non levi ex virtute infractus Agamemnon in virtutem passu, non desinis Tuum Sapientiæ in Patriam diffundere odorem, quam ut fortunatam reddas; hanc Tua perspicaci corroboras mente. Nullum publicum privatumq; consilium reperitur; in quo benè Lechicæ non consulas Genti, ubiq; integritatem illius promovendo, dignitatem adaugendo, ac bono ipsius providendo. Nemini deesse soles, ast omnibus semper prodesse curas; quidquid dicis, gemmeum est, quidquid cogitas, æternitatem sapit, & quid agis, id posteris imitandum relinquis. Quodsi meliùs quis adhuc curiosiori mentis indagine actiones perpenderit Tuas, certe nihil in illis non singulare advertet; videbit in operando prudentiam, in publicis absolvendis negotijs sanum judicium, in dando liberalitatem, quæ singula recensere, ac hæc in compendium revocare, non unius pennæ labor adest. Addit aurum auro, gloriam Tuæ acumulat gloriæ ex Inclyta NIEGOLEWSCIORUM *prodiens* Familia, Illustris ac Magnifica Domina *Consors Tua* CONSTANTIA *Cunctarum probitatū Idea. Panderā esse dixerim justò illā, cùm omnigenæ eruditionis excellentiâ adornatur. Adest animo Masculo Camilla, Corporis venustate Græca Helena, morum elegantiâ Venusina, quæ omnem per sua facta Domui*

Tuæ auget honorem, cupiens eam utraq; ex parte celebrem efformare. Continuant ultra insigne famæ Tuæ ac Illustris Familiæ decus, ad magnos nati honores gemini carissimi Filij Tui, ANTONIUS ac CÆLESTINUS. Sequitur Tua vestigia prior, verus Paternæ virtutis hæres, ornat meritis Domum, extendit suis aurô notandis facinoribus ultra Sarmatiæ limites Illustre ZAKRZEVIORUM *Nomen, ut illud tam Lechiæ quàm exteræ notum faciat Genti. Eminet non parva in Illo sensuum gravitas, comparet maturitas judicij, in quo hoc solum ad laudandam vocatur crisim, quòd honoribus in se locum ponere recusat, quos mavult mereri, quàm habere. Alterius, quem ad præsens suò erudito Lubransciana Pallas fovet sinu, Indoles humi serpere nescit, cùm ad excelsa quæq; virtutis amore sublevatur. Applaudunt tantis Tuis meritis ac gloriæ, æstimatæ & plurium* Illustrissimarum Familiarum *affinitates, Sarmatici lumina Orbis,* RADOMICCII, SZOŁDRSCII, NIEGOLEWSCII, WALSZEWSCII, ZALESCII, TARNOWSCII, SLADKOWSCII, MICIELSCII, STOKOWSCII, RYCHŁOWSCII, DĄBOWICYI, RUNISZEWSCII, SKRZYNSCII, SARNOWSCII, SUSINOWIE, KARZNICCYI, *aliæq; innumeræ Domus, quas hæc pagina capere nequit, cùm librorum folia amplitudine gestorum excedant. Concurrit post has & ARA THOMAS D. qui in Domo Tua stationem habere prætendit. Non nega ergo illi locum; resera Ei gratiæ ac favoris Ostium: Ipse verò non alia Tibi refundet, nisi* Illustrem Familiam *à quibusvis adversis immunem reddet procellis, Te fortunatis ditabit successibus, ac lucidis* Aræ *suæ flammis, Illustrissimos dignitatum Tibi accendet titulos, quos & ego voveo*

JLLUSTRIS ac MAGNIFICÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Devinctissimus Cliens & Servus

M. Iosephus Declos P.D.S.G.P.

ORATIO.

PErſpicax terrigenarum animus, fatuis flammivomæ cupiditatis infaſcinatus blanditijs, in tam craſſas Stygias incidit noctes; ut ſerenô puræ felicitatis careat meridie AA. Quamprimùm etenim Tantaleâ ductus orexi verſuti Orbis cæpit rutilare aurâ, protinùs obſcæni Tenebrionis typum in ſemetipſo exaravit. Nitentes fucati luminis aggreſſus tædas, ratus ex eis indeficiens ſibi illuxiſſe ſerenum; at votis eluſus, in obcæcatam talpam degeneravit. Ardente ejusdem maleſanæ libidinis focô, in obſtruſum caliginis ſeſe injecit antrum; triſtem occaſum in eo ſuſtinendo. Inter ſtillantes illius ſplendores, atris tenebrarum obruitur nubibus: præ quarum obſcuritate, nitidum nequit ſpectare Phæbum. Fulgenti porrò ejusmet innixus lychnô, funeſtam ſubit Eclipſim, luce hâc, in ingentes umbras manens inflammatus. Nec mirum

profectò, quòd hanc penes mutationem existat: deformis enim ac instabilis Numinis occiduum secutus jubar, æqualis quoq; ab illo efformatur. Nesciunt ullatenùs serena corruscare luce micantia phænomena ejus, quinimo nec prolixum collucendi possident spatium; nam quàm citò refulgent, eò celeriùs à proprio igne consumuntur. Protei mutatione splendentes ejus congaudent radij, qui vix diaphanitate sua libratam attingunt tellurem, illicò inter cavernosos rugosorum montium colles absorbentur. Levis aura ipsius hæc apparet flamma, quæ citiùs quàm ex ore exit, dispersa inter cæteras aëris athomos, non dignoscitur. Atrum màgis umbræ velamen, quàm lux hæc illius nominanda claritas; cùm veræ lucis minimâ etiam scintillâ careat ad lucendum. Infuscant veriùs ejus succensæ Cynosuræ lucis insciam mentis aciem, quàm in Apogæum illibatæ conducunt felicitatis. Cæcutiunt sæpenumerò ad fumantem facem hanc pleriq; Bellisarij, obcæcantur multi centoculi Argi, qui innubem non moritur æ famæ haud valent lynce pupillâ lustrare diem. Hamantur Pharô hâc etiam ipsi extra Romam ferreis rigentes squammis Lucij, ad quam vespertiliones eorum animi sæpesæpius lippire solent. Extenditur hoc crepidans fulgur in multos Marios; bacchatur per integram terrarum plebem, à quo tamen ab humo deducti non amoventur mortales; ast illud cæco Icari more non segni sequuntur passu, eôdem illustrari gestientes. Trahuntur in ardentem hunc malignum Syrium eorum pectora, ita sanè: ut nullus sit, qui eundem deserere videatur. O furentem generis humani versùs futilem Orbis fulgorem, avaritiem! itane jam lascivô hoc tota gens ardebit fervore? sicne dolo deceptus in umbra locò lucis inscius manebit animus? minimè: Exeste hinc longè humanam decipientia palpebram mundana lumina, exeste; tenebrescite ficti ac vesani libidinum ardores;

dores;

dores,tenebreſcite;verior nunc refulget Flam̄a in Stellifero Dominici Polo,quæ cuncta veſana ſuo nitore extingvit incendia;& flam̄igeris mentem tutatur habenis. Iam antea atrum, modò fulgidum ſua claritate ignarum mortalium reddit animum, in ſereno eum meridie collocando. Hanc ſi ſcire vultis: THOMAM *Divinissimum* advertite. Hic eſt verus conſumens ignis, de ſolo Cæleſti deſumptus rogo; in quo lumen Sapientiæ, ac virtutis exardeſcit. Benè eſt; ARAM & ego flammis amoris Divini, ac oleô ſapientiæ ardentem, inculta Panegyri demonſtrare conabor. Permittes *Doctor Divinissime* incultæ oris mei facundiæ ARAM Te venerari, ARA ardens es: illuſtra umbratilem dictionem meam virtutum Tuarum radijs, ne ad Tuam coruſcam cæcutiat lucem. Flagrabit facilè imbellis Oratoris ſuada, ſi tantùm Serenam attentionis Veſtræ AA. advertet frontem, quam ſupplex expoſcit.

ARchitecta Superûm omnipotentia, ſtupenda negotiorum condendo molimina, univerſa creans, nil ſine myſterio creavit, nullam normam abſq; arcano ſpatioſo terrarum indidit globo AA. Latepatentem enim in gyrum orbîs idcirco ſinuavit figuram, ad cujus peripheriam non intermiſsè ſublunaria volverentur. Stelliferi ſplendorem Olympi, auricomum Phæbum inter cæteros Planetarum Orbes Supremum moderatorem conſtituit, à cujus luce cuncta ſidera lumen proprium mutuentur. Et ne ſolus excederet Sphæræ orbitam, eundem uno orbe coarctavit. Hinc nullum ſtabilitate ſua licentiatur opus, verùm omnia Succeſſione viciſſitudinum glomerantur. Cæleſtia ſpeculemur aſtra; hæc alia in Apogæo, alia in Perigæo hoſpitantur. Singula regularem Moderatoris ſui occupant ſedem, à cujus centro nec pauliſper deviant, ſancitô ſtabilita exiſtendo. Idem in herboſa ſpectandum humo: nec de-

ſunt humanô generi demiſſa cælitùs iuſſa, quibus eis cuncti proprios attemperent actus; quinimò inter hæc benignus Deorum favor bono providendo illius, ne ſuos ignoret venerari Penates, facilem cultûs ſui porrexit modum, quem per flammas in aris accenſas peragere demandavit. Obſequuntur ſpatioſæ Incolæ terræ commiſſo ſibi *N*uminum mandato, torridos accendunt rogos, quadratas extruunt aras, quibûs Divinam dignentur Majeſtatem. Non deſinunt opimas apponere victimas, in quibus alij Sabæa ſvaviter olentia ſuccendunt thura, cæteri candida lanæ offerunt vellera, ut his queant concelebrare Divos: aſt libamine hoc alliciunt quidem Superos, non tamen devincunt; provocant, non ſtimulant; cùm intermixtum ijsdem donis intimi cordis votivum non eliciunt fervorem. Magis defactò immenſus Divinæ bonitatis Theſaurus calenti præcordiorum oblectatur piaculo, quàm fumoſo ac ſolenni holocauſtô. Nullum ei charius munus, quàm quod in ſolo pectoris domicilio inſtauratur. Nulla ſvavior Ara, quàm illa, quæ Amoris Divini ac oleo Sapientiæ inter viſcerum abdita exardeſcit. Et hanc credite fore THOMAM Diviniſſimum *A*A. Inſiſtit promptè beneplacito Deorum Doctor D. flammiferos inſtaurat rogos, quos non alibi accendit, niſi in anguſto intimi pectoris ſui penetrali; ut charior ARA DEI exinde demonſtretur. Suſcipit hunc non vulgarem nam amore Cæleſti ac Sapientiæ radijs corruſcantem ignem, cujus ſplendori à teneris ſtatim in ſemetipſo ſpatium aſſignavit. Adhuc in utero Genitricis ſuæ Theodoræ incarceratus continebatur puſio; & jam Ætneæ Divini amoris flammæ novum ſacrarium præparabat, *A*RA Deorum mox futurus. *N*ecdum THOMAM adoraverat orbis & jam imminentem *A*more DEI ac Sapientiæ oleô exæſtuantem Arſinium, ſinguli geminatô orê proclamabant. Nec vana hæc circa THOMAM prophetia, verificari

debuit

debuit, dum è Theodora Matre erat oriturus. Donum DEI Mulier cùm sit, non alium edere poterat filium, nisi Divina quæq; anhelantem. *Non* parit utiq; accipiter upuppam, nec musca Leonem; utq; nascantur Aquilæ, Aquilis opus non columbis. Hic altô perpendite Iudiciô stupendum Infantis THOMÆ Horoscopum AA. Quamprimùm enim Cælestis Infans è Theodoræ prosiliens sinu, primis labris communem attigit auram; illicò totus igneus Cælesti succensus entusiasmô sese exhibuit universis. Vix Infantili manu matrem tetigit terram, protinùs cujvis apparuit notus, quòd ad calentes natus fuerit *Aras.* Adhuc in primævo ætatis permanebat verê, & iam nihil terrenum sapuit, inter homines nil humanum præter carnem gerens, ita continuò in DEV*M* ferebatur fervore; ut se veram ardentem flammis amoris Divini *ARAM* præsentáret. Nulla Ei gratior dilectio quàm ad ARAS, nullum jucundiùs solamen, quàm accensos cultui Divino extruere focos. Eluxerunt protinùs in tenello pectore Ejus non exiguæ ipsum superantes Vesuvium sanctimoniæ flammæ, quas Gentilitiæ ejus extinguere non poterant undæ, cùm jam in maximum incendium excreverunt. *Neq;* satis erat THOMÆ ejusmodi ignium rutilare fulgoribus, plures adhuc ad ardentem ARAM suam gestiebat colligere splendores; ut clarior undiquaq; eminere videatur. Et invenit hæc quæ voluit THOMAS: vix enim pendens ab ubere lactantis Nutricis sagaces oculorum palpebras in pavimenti convertit aream, protinùs insolitum lumen, nam Signum duodecim stellis micans, paginæ impressum advertit, quod in ornamentum ARÆ porrigi sibi exoravit. Abijcit jam longè puerilia crepundia Cælestis Infans, vinctas è fascijs dexteras solvit, Matris retrudit ubera; imò lachrimas quæ pondera vocis habent ab oculis fundit, & ad AVE *MARIANUM* humi jacens toto virium

contendit anhelitu. Obſiſtunt deſiderijs THOMÆ Nutrices, votis illius obtemperare nolunt, jucundâ tantùm rerum delectant varietate, ſvavibus aures recreant Pæanis; ut avidam ejus queant avellere mentem. Sed quid ad hæc THOMAS D. ſpernit cuncta blanda earum verborum lenocinia, Syrenos auribus non percipit cantus, firmus in ſuo propoſito remanendo. Sinatis meliùs tutrices exulcerare *THOMAM*, porrigite hæc quæ terræ incumbunt, & ſic ſerenum efficietis Iuvenem. Non vanidum molimen hoc *THOMÆ* credatis fuiſſe, ARA enim ardens eſt, idcircò paginam hanc Mariano inſignitam nomine, proprio igni in alimentum porrigere prætendit. Parent jam quoq; ſinguli beneplacito *THOMÆ*, negatam ad legendum chartulam tradunt, quam magno cum plauſu utraq; arripiens manu, dat ei priùs oſcula mille, poſt tenello ori maſticandam devovit. O ſtupendum Mariani Nominis heluonem *THOMAM*! qui uno hauſtu DEI Genitricem deglutijt *MARIAM*. Formate nunc veſtros de *THOMA* ſenſus AA. Nonne ardens comparet ARA? cum Sole amictam intra ſe complectitur *MARIAM*, nonne corruſcus? rubo ardenti manens calefactus. Bene imò optimè Tibi conſuluiſti *THOMA D*. quòd hoc in auguſtali cordis Tui incluſiſti lumen, nullas unquam expaveſcas umbras, cum Tibi Stella ex Iacob præſtò adeſt. Tantô iam repletus æſtu Cæleſti cum fuerit *THOMAS*, accreſcit tandem infantilibus evolutus faſcijs in majorem ætatem, utq; & in majores excreſceret flammas, has oleô ſapientiæ nutrire meditatur. *D*eſerit Patrios lares, tùm dulcia arva, *D*omeſticos ſplendores ac fumoſam *A*boriginum claritatem renuit; & doctis Palladis Muſæis alligari exoptat. Pergit in ſublimem Caſſini montis verticem, in *S*acra (nam Benedicti) novus *A*nachoreta quieſcit eremo, ut ultra ardentis *ARÆ* rutilos perficiat ſplendores. *S*atis apprimè Tuo arriſiſti voto

THO-

THOMA D? igni enim non aptior locus, quàm desertum videtur, nam quò màgis ad nemora accedet, eò luce majori abundabit. Assurgite hic citò venienti THOMÆ votivos in plausus Cassinenses montium colles? orientem minùs spectate Phæbum; dùm ARA ardens THOMAS vestros inter ambitus suum explicat splendorem. Videre nunc sublimem ast non elatam in Cassino monte THOMÆ D. mentem; non aliundè prima Literarum exordiri videtur elementa, quam ab illo, qui Alpha & Omega dici voluit. Necdum loqui THOMAS perfectè scit, & jam inde inchoat, ubi magna ingenia deficiendo obmutescunt. Supremum Mysticæ scientiæ enixè scrutatur objectum, sæpissimam Erothesim format QVID EST DEVS? forsan DEVM ante omnia, se ipsum ante studium omne cognoscebat. Iustè hoc de DEO instituis quæsitum THOMA D! ARA enim DEI ardens es, nil magis contemplari debes, præter DEVM. Peracto igitur inter Cassini atria montis lustro THOMAS D. ephæbus à Phæbo Cassinensi recedit, deserit Benedicti desertum, in quo sibi non parvos sapientiæ accumulavit splendores; & celeberrima Neapoleos aggreditur Pergama. Consistit in bicollis Parnassi luco, ut clariùs ardentes ipsius radij ARÆ eminerent. Nec immeritò: resplenduit etenim in Neapolitano Helicone non exiguis sapientiæ flammis, ubi æstu ingenij sui totam Hypocrenem exsicavit. Spectans talia THOMÆ præclara opera pharetratus Cynthius, jure debito locô cedit, ut cum novennario Musarum choro ARA sanctior coleretur. Erumpunt altiùs in plausum THOMÆ D. Aganippidum undæ, ac blando susurro hanc sibi gratulantur felicitatem, quòd in effusa Parnassi umbra, novum experiantur Hyperionem. Hactenus jam ingentibus studiorum adauctus incrementis THOMAS ne famulando Apollini ad ejus lyram deliret, mutat sedem; aliam sibi commodiorem Provinciam quærit, quam si scire

 vultis

vultis; Sacrum Prædicatorum Ordinem autumate. Tendit ad hunc plusquàm Attalanteo passu, cui lenes Paranimphi Cælestis favent Ethesiæ: candida Religionis exoptat adornari cyclade, ut tutiùs ardentem flammis ARAM, à fatuis ignibus valeat conservare. Linquit illustres Siciliæ & Arragoniæ Avorum Ceras, & in Domum confugit obedientiæ, nativis exuitur splendoribus, ad umbras Religiosas properando. Quid agis THOMA D? ad quid alta honorum non acceptas subsellia? cur Caput Tuum coronis quæ te exambiunt redimire recusas? si Tu non vis! saltim virtutem Tuam coronari permitte: non ne scis? plurimos Iasones per magnos turbines rerum vix non ope Dædalea in honoris ferri chersoneson, anne ignoras multos Lescos per clavibus ornatam semitam ad coronam Regalem tendere? Hæc dum loquor: verba in ventum semino; non audit hæc THOMAS, cùm sciat quid agat, recedit à mundo, ut propiùs æstuantibus Deum attingat flammis: dissolvitur cum eo, ut faciliùs cùm Deo conjungatur. Non in cassum certè Orbi injurius THOMAS; novit illum perbellè versatilem fraudum fuisse Architectum, ubi quem amat hamat; quem honorat onerat; quem illustrat, eum in horridum transmutat monstrum. Utq; jam ab illo non cognoscatur, nomen ipsum mutare exoptat: pergit ad claustrum Dominici, puritatem à candidis lilijs ejus habiturus; sub fulgenti ejus locatur face, ut nescium umbræ fulgorem consequatur. Applaude felicitati Tuæ inclyta Prædicatorum Religio, plenariam nacta es indulgentiam, dum THOMAM ARAM jubileatam intra Tuas Ædes veneraris. Neq; majus ornamentum habere potuisti, quàm cùm fulgentem oleô sapientiæ Phæbum complecteris. Vix ergo THOMAS Sacri instituti attingens limina, candido vestitur amictu, mox ex asse muneri suscepto correspondet. Claret cæteris verecundiâ morum, cun-

ctos

ctos virtutum exſuperat ſplendore, quæq; glorioſa exequendo. Stupent Confratres THOMAM, quòd in uno viro talis ſapientiæ reperiatur magnitudo: mirantur ſublimitatem ingenij ejus; at Mundus invidet hoc THOMÆ eruditionis jubar; ideò novam Gigantonomachiam movere meditatur; quâ Aram oleô ſapientiæ ſtillantem extinguere valeat. Advertit invidum Orbis aſtum THOMAS, idcircò hunc evitare volens, Lutetiam proficiſcitur. Securum ac tranquillum innocuus THOMAS ſibi pollicetur tractum, aſt mox contrarium experitur; incidit inſperatè in Scyllam qui voluit effugere Charybdim. Obſedêre enim viam tendenti THOMÆ amentes non amantes prædones fratres Arnoldus & Landulphus, qui ardentes Aræ Sanctioris flammas diſpellere ac ſuffocare volentes; turbidos in eas concitant Æolos. Aggrediuntur ipſi ad extremum ſceleſtâ eundem manû, proſequuntur infernali non fraterno amore inſontem, niveo denudant amictu, oneroſis invinculant compedibus, inſuper ad latebroſum carceris inijciunt antrum, ut ab igne Cæleſti poſſint avellere THOMAM. Tollerat hilariter hos ſævos cruciatus Fratrum *AQUINAS*, majora ſubire anhelat ſupplicia, minimè furorem illorum perhorrendo. Sinite, ſinite inſequi ò Fratres furibundi *THOMAM* Diviniſſimum; ſtabilem propoſiti ejus non devincetis animum, qui nullatenùs poteſt ſuperari. In caſſum fulgentem AR*AM* hanc ſpeluncæ deſtinando obnubilare vultis, cùm ſplendor ejus haud aliquem unquam triſtem ante ſe ſcivit præferre occaſum. Intruditis carceri tenebroſo THOMAM, fulgebit etiam ſplendidiùs Orbis utiq; lux ſub modio aſſervata majori erumpit flammâ, clariorq; manet ſemper poſt *Nubila Phæbus*. Neq; tamen adhuc veſana contra THOMAM limitatur rabies; addit furorem furori, irritam imitata novercam Theodora, evocat in THOMAM Orcô furias, ore fumante ſpumat, pu-

ritatem ARÆ læſura ſanctioris. Et cùm ſola nil efficere poteſt geminas Ejus commovet ſorores, quibus demandat; ut lenocinantibus verborum favonijs Sanctam Iuvenîs devincant pertinaciam. Nolite talibus Theodoræ obedire juſſis ingenuæ virgines? Recedite longè à THOMA? ARA enim THOMAS ardens eſt, mox veſtras teneras pudore ſuffundet genas. Hortemini potiùs inſipientiam Theodoræ Natæ, ut deſinat jam inſanos in THOMAM extendere furores; dùm his innocuum non deterrebit Iuvenem. Svadent Genitrici filiæ, aſt hæc iracunda mulier, auribus non percipit ſuis, ſævit magìs ac magìs in THOMAM, laqueos parat, quibus valeat illaqueare THOMAM. Denegat ipſi libertatem animi, & ad libidinis licentiam latum aperit campum. Inſtruit in innocuum ſceleſtam ac impudicam Venerem, ut illecebris ſuis omnem ab ARA ejus ſanctiori removeat indulgentiam. Ingreditur carceris repagula ſplendido ornata veſtitu pulchra Turpilia, quæ ſtatim in primo ſui ingreſſu Suum THOMÆ pollicetur amorem ut Divinum eripiat. Quid ages ô THOMA! paratum in ſtadio cernis hoſtem; qui Tuo ardentis ARÆ invigilat ſplendori. Ad arma ad arma Divine pugil; hic Tibi aut vincendum aut moriendum eſt. Necdum dixi, fecit iam THOMAS D. arripuit ex ardenti Divini amoris ac ſapientiæ ARA, igniferum titionem; & effrontem propulſavit ac confudit Meduſam, novo prodigio oſtendens: quandoq; ignes ignibus extinguendos. Exulta exulta THOMA D. quod tale deforme & pænè infernale ſuperâſti monſtrum; attolle victoriæ Tuæ triumphum! ut triumphus Tuus ab omnibus videatur. Nullæ jam abhinc aſperæ contra ſtillantes ARÆ Tuæ flammas conſurgent ab Aquilone procellæ, dùm his dexteritate Tua Herculeum non plus ultra poſuiſti. Adeptô tantô inſigni triumpho ſanctior ARA THOMAS; redit in Patrium

Domi-

Dominicanæ Religionis ſolum, cunctis virtutibus ac morum elegantiâ illuſtris exiſtendo. *Occurrite* celeriter THOMÆ obviam inclyti Dominici Patres reducem ſalutantes, cùm talem denuò obtinuiſtis Phæbum, qui longè ſciet ſuâ claritatê virtutis, craſſas à vobis repellere umbras; aſt nec diu Eum intra veſtros continebitis lares, quem ſapientiæ ardor ad exteros avocat ſoles. Linquit Religionis oſtia, & in alia celeri approperat paſſu. Aggreditur celeberrimam Pariſienſem Academiã, clariores ſapientiæ radios adepturus. Favent deſiderijs THOMÆ Superi, felici illius vota coronant ſucceſſu, dùm cappacitati ejus magnum Præceptorem applicant Adalbertum. Profecit mox plùs ſub magno hoc ſcientiarum Doctore THOMAS, quàm olim ſub Platone *Ariſtoteles*; cùm ſupra Magiſtrum Diſcipulus evaſit. Surrexit cunctorum ſtupore Præceptore major, qui ita ſingulas ſagaci ingenij ſui acumine, abſorbſit ſcientias, ut nulla jam reperiretur talis, quæ in ipſo condi non valeret. *Mutuari* quodammodo videbantur *Sorbonenſes* Palæſtræ ab illius ardenti virtutum ac ſapientiæ *ARA* ſplendorem; aſt lucrari non poterant, cùm hæ admirandæ eruditionis dotes à ſolo Cælo ſoli conceſſæ fuerant Aquinati. Et cum ſupra cæteros tanta ingenij ſublimitate aſſurgeret, infra omnes abjectus eſſe exambit. Humilitati ſoli indulgens *Thomas*, ne multa ſciendo ſapiens nominetur, Harpocraticum ori imponit ſilentium; unde muti nomenclaturam Bovis à Compalæſtritarum obtinet ſalibus; quaſi tunc tantummodò cenſeatur diſertus, dum tonat; aut ingenti murmure æthera implet. Non competentem fulgori *Thomæ* attribuitis titulum fratres! Bovem eum fuiſſe proclamatis: qui Angeli merebatur etymum. Detrectatis video profundam taciturnitatem illius, planè ignorantes, proximum illum fuiſſe DEO; qui ſcit ratione tacere. Erraſtis hoc in paſſu collactanei

THOMÆ erraſtis, qui à prima fronte res æſtimantes, ſub criſim ſanctiorem ARAM convocaſtis. *Bos* quidem ex joculari cognomine veſtrûm *THOMAS* eſt, ſed ille qui in victimam Numini cedet; hic eſt: qui ſvave jugum Chriſti multis Hæreſiarchis terribile portabit. Audietur mox vocalis ab orbe mugitus ejus, ad quem Orthodoxa exultabit fides, perverſa ſtupebunt capita. Quodſi verò ad præſens mutum ſpectatis *THOMAM*; loquitur pro eo vices ad tempus adimplens illius Inclytus Inſtructor Albertus, hoc de illo arbitrium formans. *Tu mihi non reſpondentis ſed Doctoris locum obtinere videris.* Bene eſt magne Ponderator mentium: meretur THOMAS ut innuis Doctorale hoc præ alto ſilentio ſuo ac ſapientiæ fulgore ſcandere faſtigium, nec aliud præclaras virtutes illius ſequi præmium debet, quàm hic celeber Doctoralis Cathedræ ſuggeſtus. Tempus eſt ſublimes virtutes illius ac eruditum caput (quod nil præter DEUM ſapuit) Theologica redimiri corymbô; & qui legitimè certavit, opus eſt, ut Doctorali diademmate coronetur. Tardus ad honorem comparet *THOMAS*, maximè vitat eum, non ut onus, ſed ut præeminentiam: timet in ſerto aculeos, in Toga veretur tineas, avertit ab eo oculos, ne ad illud concitetur. Effugis effugis dignitatis gradum Cælô dilecta propago? quaſi neſcias honorem ſequaces fugere, fugientes ſequi. Splendes virtutum panoplijs, rutilantesquè ex Tua ardenti *ARA* in Orbem ebulliunt ſapientiæ flammæ; ut etiam honore refulgeas *Doctoratûs*, eſt neceſſe. Perſiſtit in oblato ſibi honore *THOMAS D.* quem nunquam ſuſcepiſſet, ſi à Legato Cæleſti per ſomnum præcautus non fuiſſet. Occupat Superiorum mandato auguſtum Cathedræ *Doctoralis* ſpatium, ubi in primo acceſſu talem ſe exhibuit, qualem ſe nemo majorem appromittet. Eminebat ſupra felicitatem ſuam non tam locô, quàm Sapientiæ oleô magnus

gnus

gnus; nota ei fuit in agendo constantia, in resolvendis difficultatibus facilitas, in omnibus subtilitas non postrema, quæ Doctori *D.* illustrem parabat gloriam & triumphum. Concurrebant ad sacram *S*cholam ejus universa Lycæa Mundi, properabat Gallia, Lutetia, Bononia volabat, cupiendo luce sapientiæ ejus illustrari. Placuit singulis hoc corruscans ardentis *A*ræ jubar, quòd cunctorum ita ad se allicere videbatur pectora, ut & ipsa primæ magnitudinis sydera Cælestis Provinciæ Principes PETRUM & PAULUM cælitùs detraxerit. Adfuerat PETRUS ut dignè sacratam veneretur Aram, adstiterat PAULUS ut ab ejus fulgenti sapientiæ oleô, flamma, districto Mucrone suo quasvis adversas procul repelleret umbras, uterq; pro majestate sanctioris certabat *A*RÆ; qui ut solenniorem efformare queant, effigies suas pro simulacro huic offerebant ARÆ; cupientes: ut sub illorum titulo celebretur. Mensurare hìc immensam T*HO*M*Æ* magnitudinem universi mundi ambitus potest, postquam Cælum ipsum tot sanctis, quot sideribus illustre, *A*RÆ suæ effecit obligatum. AR*A*M iam cuncti Sapientiæ ardentem oleô THO*MA*M geminata proclamare debent voce, cùm radijs suis & stelliferum tetigit Olympum, atq; luce suâ integram telluris molem illustravit. Sensit hunc rutilum fulgorem ARÆ à procul adhuc Stygijs incubans palludibus, nefanda Hæresiarcharum cochors, atquè nitore ejus perstricta manens, buccinanti ore ac rictu im̃ani per suum exclamabat Buccerum *Tolle THOMAM & dissipabo Ecclesiam.* Sile fætida proles cum Tuo Buccero fraudifrago authore; abstine à tali musurgia! ne te vox in publico prodat, quid meditaris! & ne incidas in flammas: jam contra Te conclusum; dum contra *Manichæos.* *A*pposuit ubique locorum Doctor D. ignivoma eruditionis retia, quocunq; serpes, implicaberis. Et ne

D jam

jam ampliùs deformis bellua caput suum in altum sublevare posset, obvenit huic tempestivè THOMAS; exarat graphiô summarium Theologiæ, librorum folia expandit, ut his melius Incolas Orci valeat debellare. Paratur hinc pro tali triumpho insignis THOMÆ Apotheosis laudum, quam non ex ore Homeri, ut olim dexterrimus Ahilles, aut Plinij ut Trajanus audit, ast à perfectissimo Magistro Christo; *Bene scripsisti de me* THOMA, id est non obscuras de ARA Tua ardenti eruditionis jecisti flammas. O optimum omnes humanas excedens Panegyres bene! quod à summo est derivatum Bono: ò dulce elogium Incarnati Verbi! quô nihil meliùs ad enarrandam THOMÆ D. celebrem gloriam mundani dicere possunt Oratores. Promeruit defactò supremum Arbitrum DEUM Aquinas sui laudatorem habere, postquam excelsa sua Angelicâ prudentia, non tantùm terrena Encomiastarum superavit ingenia; ast jam ipsas Cælestes Intelligentias anteire videbatur. Commotus Cælesti tanto encomio THOMAS Divinissimus, ut laudata in eo magis excresceret virtus, ad Lugdunense festinat Concilium, utquè ARA ardens oleô sapientiæ ab omnibus comprobetur, cùm lumine scientiæ ad resolvenda quæquè dubia tendit. Sed heu dolor! heu infelicem casum! nullum lumen est, quem sua non sequatur caligo; currit veloci passu in locum assignatum THOMAS, & en in via morbido percussus ictu, in obscuram fatorum incidit fossam. Favit mox tendenti Aquinati ad vitæ vesperam illustre Cælitùs demissum sydus, ut ab illo & atras procul fugaret caligines, & ad portum præluceat æternitatis. Conticescit jam hic in bellis dictio mea hucusquè præclaras virtutes *Doctoris* comitabatur *Divinissimi*, quousquè in terris Divinum adoravit THOMAM: sed cùm in alto est, jam eum in splendoribus Cæli nul-

latenus

latenùs concipere valet. Coram Te nonnisi Aquinaticis hærens in laudibus scenam plausuum agit Sacratissime ac celeberrime Prædicatorum Ordo. Felicissimus es; quòd nihil educare noveris, nisi Cælô dignum. Mereris summas laudum Panegyres, quòd è Tuo nido non fatui evolant Phaëtontes, at ipsi Joves producuntur stătores radijs virtutum universo allucentes. Devincis plerumquè plurimos ingenij Tui sublimitate animos, ita: ut nullus sit qui Tibi valeat adæquari. Omnium scientiarum ac conglobatæ sapientiæ præsentaris Pantheon, dùm semper in Te cuncta dominatur virtus; ac excelsa crescit probitatum propago, quâ totus pænitùs reficitur orbis. Fatetur universa sublunarîs quâ latepatet mundi *Orchestra*, fatentur singuli illius *Accolæ*, totam sui molem in tristia desinere, ac in deterius volvi; si virtutum Tuarum pondere non sublevaretur. *Augustus* honorum splendor, quoties *Tuam* Religionem ingreditur, toties in umbris Tuis clariùs elucescit. Ex Tua Janua plus quàm ex Thæbana milleni sese eruditi effundunt viri; quibus Papales Tyaras, Cardinalitios galeros, Episcopales Infulas, Doctoralia Bireta, Martyrologias palmas gestare non est paradoxum. Tibi ergo ad hos successus *ARA* Cælestis *THOMAS*, ipsum Cælum adhuc reddat subjugatum. Te *ARAM* flammis amoris Divini ac oleô sapientiæ ardentem umbratilis mea cùm protulerit svada *THOMA* *Divinissime!* serenos proinde *Sarmatico* Orbi accende dies, & purum fortunatorum successuum adde meridiem; ut nunquam tristem aliquando adversæ sortis experiatur occasum. Sceptriferam Regum *Matrem*, quatuor sæculorum caniciè gravem, primam Regni Scholam, magnarum Altricem mentium, Almam Universitatem Cracoviensem *Tuo* Nomini addictissimam nitidis favorum *Tuorum* illustra radijs, lumenquè Tuum Ei indefi-

 ciens

ciens exhibe; ut ſemper publicum ſpectet inclyta Solem. Magnæ Parentis Filiam Lubranſcianam Palladem, Sanctioribus Aræ Tuæ ardentis illumines flammis, ut ſub Tua inextincta permanendo luce, ad meliora quæquè accendatur. Arbor ejus, ut cuncta ſuperando invida, vertice ſuo ſydera pulſet; illam gratioſâ manû in ſpes meliores erige, turbidas Aquilonum procellas longè ab ea propulſando. Omnibus qui Tuo honori dona ferunt, onerantquè ARAM, meliorî comâ perennis lætitiæ ſparge ſerenum, adde gartias gratijs, publica renaſcentis felicitatis ſæcula oleâ pacis coronata largire, ut à Tuo ſacrario gratioſum adepti jubileum, Te ardentem ARAM Amoris Divini flammis, ac Sapientiæ oleô proclament, facundo Mercurij deprædicent barbytô, clarioribus buccinent tubîs, qualem ego levi Tibiâ

DIXI.

Solus Dominus magnus
et nemo major ...
dico quia nemo ...

Sola Virgo Maria est
Virgo Castissima